11

VICTORIÆ, ET FORTVNÆ CVM RELIGIONE

CONSPIRATIO:

34-3-F-10

SEV

VIENNA

OPPVGNANTIBVS TVRCIS
DIV PROPVGNATA
A Comite ERNESTO STARE[MB]ERGIO S. R. I. Principe,

ET DEMVM ASSERTA
A IOANNE III. POLONIAE *REGE,*
AC CAROLO *V.* LOTHARINGIAE *DVCE,*

SVB AVSPICIIS

INNOCENTII XI. P. O. M.
ATQ; LEOPOLDI ROMANORVM IMP.

EPINICIVM

AB AVCTORE RENATO FLORENTIO DICTVM
FLORENTIÆ.

p. Ferdinandus Zucconius Auctor



FLORENTIÆ SVB SIGNO PASSIONIS.

Apud Andream Orlandini, 1684. *Super. Licentia.*

Donatomi dal Pre ... Zucconi Autore.

PROLVSIO.



Ptata ferè ſemper, ſperata prope nunquam, relata tandem ſemel de nomine Otthomano Victoria tàm ingenti gratulatione Chriſtianam impleuit Rempublicam, vt fœdum omnino ſit ſuam modò non oſtentare in pompam lætitiam, & ſaluà vix quiſquam Pietate aut victos ſine riſu hoſtes, aut Victores ſine laude Amicos præterire ſe poſſe arbitretur. Elapſis ſanè diebus Templa, Academiæ, Porticus, atque ordines hominum vniuerſi ita feſtis acclamationibus, & tàm multo æſtuarunt Pœane, vt in vna Victo-

ria omnes de alacritate certare viderentur; cum pià quadam tripudij insanià religionem quisque suam testatam omnibus esse primus exoptaret. sensimus enimuerò tunc omnes, non hominum, sed Numinis illius triumphi gaudium fuisse, quod tàm publicum fuit, & in omnes vsque adeò emanauit. At in tanto hoc lætitiæ tumultu nos solùm inuenti sumus, qui dimissi iam à studijs taceremus, & importunè feriati Octobrem inglorium & elinguem huic clamoso Musarum Regno hactenus ire permiserimus. Vnde non sine nostri Nominis labe hoc esse putarem, nisi hic literatus tandem Nouember & nobis nostra redderet studia, & studia ipsa iuberet inde auspicari, vbi omnes iam penè defessi siluerunt, vt aliquando potius, quàm numquam aliquà publicæ lætitiæ significatione fidem & ipsi nostram profiteamur. Adeste proinde A. A. dum ego FORTVNAM & VICTORIAM, alienas quondam a nostro Cœlo Sorores, ad FIDEI tandem amplexum rediuisse nuper ostendo; & conceptum iam Phœbum sic in Epinicium Carmen effundo.

Solue

SOlue ſupercilium nimio iam triſte Gradiuo
Auſtria, cui domitas demittit Thracia Lunas.
Vicimus hinc votis alij, mucronibus inde:
Et primo non dum plene ſatiata triumpho
Propitijs limen laſſat Victoria bellis.
Vlterius ſperare datur fælicibus armis,
Magna licèt fauſti miremur gaudia Martis;
Scilicet à proprijs tandem reuocata ruinis;
Pulchrior auguſta dum ſurgit fronte Vienna
Ridet, & o quantùm dura obliuiſcitur Aſtra.
Sparſa quidem longo bellorum turbine tecta,
Regaleſque domos, & diruta mœnia ſpectat,
Sed ſua vel proprijs gratatur rudera muris:
Dum raptis ſpolijs, partiſque anguſta trophæis
Admittit prædas reſeratis vndique clauſtris.
O Superos in vota pios, per aperta domorum
Et laceras Turres, & propugnacula fracta,
Exuuiæ hoſtiles, Getici decora ampla Tyranni
Ingrediuntur opes, ſolamen grande malorum.
Neu timeat ſacris redituros Arcibus hoſtes,
Odryſias turmas, atque agmina capta Getarum
Quas fecere, iubet, muris ſarcire ruinas;
Molirique nouas ventura in ſecula moles.

Iussa reluctatur vulgus seruile, manusque
Et timet, & plorat proprios fabricare dolores.
Cogitur at sorte, ac opera inter dura subinde
Narrari Dominis captas victoribus Arces
Pannonicas audit, disiecta Borysthenis arma,
Et procul attonitas trepidare Propontidis vndas;
Quin dum captiuis subuectant saxa lacertis
Prostratos inter cælato in marmore Thraces
Se quoque deprendunt, patriæque opprobria Gentis
Arcubus imponunt, lacrymis nec tergere possunt
Quæ muris figunt propriæ monumenta catenæ.
O me quis celsæ regali in vertice Turris,
Dum crescunt Getico Leopoldi tecta labore,
Sistat, & Augustæ stupeant Amphiona moles.
At vos dum tantis ordimur carmina cæptis
Bellorum litui, quorum de murmure flammas
Christiadum toties traxere in prælia Turmæ,
Vos mihi hyperboreo Phœbum succendite Cœlo,
Vt timeant Thraces post Martis spicula carmen.
Imperij postquàm moles operosa Latini
Non vno docilis regnari Cæsare Mundum
In geminas secuit, gemino diademate, partes;
Atque hinc occiduas dominatrix Austria terras,

Eoas

Eoas illinc possedit Thracia Gentes;
Ipsa etiam in partes abijt Fortuna, Fidesque,
Et comes Odrysijs dudum Victoria bellis.
Scilicet hæc Geticis numquam non prospera signis,
His maria, his terras, his primas annuit Arces,
His æquare dedit crudelia bella triumphis.
Hinc fortunatæ pharetræ, gladijquæ superbi,
Et prope iam Scythico laceratus acinace Mundus.
Sic visum est Superis, Getici terrore Gradiui
Concutere imperia, & Reges versare potentes.
At parte ex alia, qua pallet vespere Cælum
Non ampla Imperio, sed iustis læta coronis
Relligio sedet, & quidquid Pietatis amicum,
Sinceri quidquid, iustiquæ superfuit Orbi,
Huc pia congessit, soliumque coegit in vnum.
His opibus stipata magis quàm milite, & armis
Diua vices belli, & casus solatur amaros;
Nam, plusquam Regnis, hæc Regnatore superbit
Austriaco, & cunctis Leopoldum sortibus vnum
Dum confert, absoluit fata; videlicet vno
Pensat egestatem capite, & sibi lauta videtur
Dum videt Imperium ceruice quiescere tanta.
Sed quà Pannonicis secernitur vtraque Campis

Regia, & Hungariæ alternis plaga feruida bellis
Bizanti hinc sæuas, placidas videt inde Viennæ
Sidere ab aduerso concurrere turribus Arces;
Arbitra Regnorum degit Fortuna, rotamque
Hic totam exercet; semper mutabile namque
Ingenium sortita loci, Gentemque bilinguem,
Hic primum leuitate frui, hic leuis ipsa vocari
Cœpit, & ambiguo nunquam non perfida vultu.
Sic res humanæ vario se sidere agebant.
Cum procul Odrysia, qua latrat Bosphorus, Vrbe
Alta super Scythicæ vexilla minacia Turris
Vertice laurigero eduxit Victoria vultus;
Et longè spectans, superis carissima Regna
Austriadum moles, fastigia celsa Viennæ,
Et sua victricis quondam Capitolia Romæ,
Erubuit, fœdos inter proscripta Latrones
Degere. & Euxini sic se defleuit ad vndas.
Ergò peregrinis damnata miserrima Regnis,
Per iuga Carpatiæ rupis, per inhospita saxa
Victrices ducam semper pudibunda quadrigas?
Ergò Palatini Colles, Tarpeiaque Templa
Ripheas inter venient habitanda cauernas,
Et mihi ab AEmatia surgent Capitolia rupe?

O pal-

O palmis miseranda meis! quid vincere prodest
Barbara vincendo si sum Victoria Thracis,
Et trahor ipsa meis etiam captiua triumphis.
Extollor signis, sed sunt mihi signa pudori
Quæ me Bisthoniis cogunt fulgere trophæis;
Arcubus inscribor, sed quis non defleat arcus,
Qui mihi Christiadum signant in marmore luctus,
Et Fidei numerant suspiria scripta Sororis!
Cretica me laurus, me cingit adorea Cypri,
Et Rhodos & Thyrus, & quotquot non sponte subegi
Prædoni Scythico Gentes, mea furta vocantur;
Et tamen his iubeor furtis ornare triumphos.
Proh si barbarica dum ploro voce latinis
Audior à Populis quondam victoribus, istis
Sit probris vindex aliquis, sit libera palmas
Reddere cui possim, cuius vexilla pudica
Læta sequar fœdis non semper pulchra triumphis.
Cur Ego bellipotens Diuinæ filia dextræ
Tartareis semper iubeor seruire Maniplis,
Et quæ non vellem, præcingere tempora lauro?
O mihi cognato, quæ primo nasceris ore,
Relligio verax æternæ nuncia vocis,
Si te non vnquam frustra audiuere precantem

Sidera, si Cælo fundis gratissima voces,
Iungere da tandem dextram, da posse fauere
Austriacis Aquilis, & me vel redde Viennæ,
Huc vel signa moue, fractisque Propontidis vndis
Me sternente vias, Geticas dominare per Arces.
Audijt hæc spatijs longè secreta locorum
Relligio, & longum nocturna ad sidera deflens
Interiora Poli iustis non surda querelis
Intrat, & armorum causam lacrymando perorat.
Vertitur extemplo rerum Fortuna, nec vlli
Intellecta satis peragit decreta Tonantis.
Nempe nouum vt ludat, demens est visa rotare
In præceps cuncta, ac ipso cum Cæsare Regna.
Nec mora; Pannoniæ, furijs hortantibus, acti
Coniurant Proceres, fracti sed sæpe Gradiuo
Criminis auxilium maiori crimine quærunt,
Neu Dominos habeant, iurant seruire Latroni;
Ac ad bella cient scelerato fœdere Thraces.
Conueniunt leges, sancitur pignore bellum,
Milite Thrax multo, promittunt fraudibus illi
Bellare, & belli stabilitur summa: Viennæ
Mœnia diruere, Imperium miscere, coronas
Arctoas rapere, Hesperiam demittere Abydo,

Erida-

Eridanum, ac Tiberim exhaurire, hominumque Deûm-
Res certa Terræ, Pelagique à sede mouere, (que
Et sacra Cæsareo moliri vincula Collo.
Proh superûm contempta fides! patientibus Astris
Hoc sperare datum est sceleri? potuitque vel vna
Nocte impunè nefas tanto se attollere voto?
Vix maiora ferunt quondam affectasse Gigantes,
Cum prope dispositos spectarunt sidera montes
Ariete Caucasio sedem oppugnare Deorum,
Atque alios Dominos laribus iactare serenis.
Sed præstat quocumque loco cecidisse superbos.
Concussis igitur magnis à sedibus Orbis
Armantur Populi, vario quos flumine Nilus,
Quos Tigris, & Tanais, vel Thracius alluit Hebrus,
Quique sub Arctois hibernant noctibus, & qui
Solibus æstiuant medijs feralia bello
Pectora succingunt, ac Lunæ signa sequuntur.
Horrea frumentis, armentis prata, metallo
Ignoti Montes, ramis ac arbore syluæ,
Agricolis campi, viduantur ciuibus Vrbes.
Nec turmas sed regna trahit Dux barbarus, & qua
Austria se patria tantum pietate tuetur (tu
Quadrupedum hinnitu, peditumque equitumque tumul-

Ac carpentorum ſtrepitu ſe immania fundunt
Agmina, & innumeris figunt tentoria campis.
Horruit inſolitos tremefacto gurgite motus
Danubius, Rhenuſque procul caput extulit vndis,
Et liquidis plorauit aquis, Tibris ipſe ſuperbus
De Imperio Fidei vix tunc non credidit actum.
O cæcas hominum mentes! Non lætior vmquam
Fortuna arriſit, quàm cum trepidauimus Orbi
Vltima fatorum: tunc nempe vt perderet omnes,
Omnes congesſit peſtes certamen in vnum.
Ergò dum belli tanta ſub mole laborat
Auſtria, Theutonici Proceres, quique asſidet alto
Sarmatiæ Solio, bello Rex maximus, omnes
Optato toties, ſtabilito fœdere tandem
Auxilio iurant ſocialia iungere tela,
Et procul à Regnis ſæuos arcere Latrones.
Sic illos Pietas, ſic & Fortuna ſuadet
Imparibuſque armis ſpondet de Thrace triumphos.
Arma parant igitur; ſed dum illis arma parantur
Quàm prope palluimus labentem Marte Viennam;
Cum patrijs furijs, tantæque cupidine predæ
inſtinctus Viſir, nomen venerabile Turcis,
Deſertis latè campis, fluuioque potitus,

Agge-

Aggeribus ductis nobis spem clauderet omnem,
Ariete & assiduo, numeroque superbus in Arcem
Surgeret, & nullam requiem concederet Vrbi.
Magna quidem Dacis Superi opposuere virorum
Pectora, quæ possent fortes fulcire ruentes.
Quid tamen heu faceres paruo Lotharinge tuorum
Agmine stipatus, campo deprehensus aperto
Bistonis eluuie tanta, qua Strymona propter
Non plures volitant hiberno sidere nimbi.
Nec te parua quidem laus Staremberge manebit,
Vlla neque hoc poterit nomen delere Vetustas,
Quod rapidus belli vortex, & aperta Propontis,
Quæ iam tot Populos, & Regna vorauerat Orbi,
Vt primum tandem contra te vidit euntem
Versantemque moras, & ineluctabile pectus
Hæserit, ac vltra frustra tentauerit ire.
Sed te qui fluctus animi, quæ sæua premebat
Curarum moles, cum propugnacula raro
Milite spectares tua: cum iam quassa videres
Mœnia corruere, & tibi vix superesse cadauer
Deformatæ Vrbis, quæ sese opponeret hosti?
Heu rerum facies ipsis lacrimanda Gelonis!
Audaces quondam Turres, tabulata, Domusque

 Atre

AEre satiscebant crebro percussa tonante.
Iam vallum, fossæque, & munimenta ruinis
AEquarant hostes, muris iam proxima sacris
Signa locabantur Thracis; tellure sub ipsa
Occultus caueis mediam peruaserat Vrbem
AEmonius fossor, ferroque instructus & igne
Non vnam abdiderat cælati sulfuris AEthnam.
Hinc sæpe audiri secreta tonitrua Terræ,
Hinc ipsæ excussæ primo à fundamine moles
Sæpe videbantur flammarum turbine ferri,
Atque aditum propria Medis aperire ruina.
Sæpe etiam tacitæ turbari sidera noctis,
Et totum præceps ærata in grandine Cælum
Vndique spectasses tectis effundere stragem.
Neue tot ærumnis etiam postrema deesset,
Accessit funesta lues, quæ fortiùs armis
Conficeret muros etiam cessante Gelono.
His tandem fessi Ciues, vix corpore fracto,
Pugnabant animis, dextra languente sub ictu;
Pugnauere tamen, laceroque cadauere muros
Tutabantur adhuc; tunc certe vidimus armis
Quid possit Miles, quid Dux, & Martia Virtus,
Quæ numeros omnes animo pensauit in vno.

Quili-

Quilibet ex illis caderet, numeroſa cadebant
Agmina, & vnius librabant ſata triumphos.
Inſtabant igitur feſſis ceruicibus enſes,
Ac Vrbis tantæ labes pendebat in horas.
Sed iam Sarmatiæ Populis audita tubarum
Vox alacres animos ad pulchra vocauerat arma.
AEſtuat Orion, primus Rex ipſe triumphis
Nobilis antiquis Dominas moderatur habenas,
Aſpectuque hilares accendit Martis Amores.
Regius huic ſeſe generoſi ſanguinis hæres
Addit, & è galea ſurgentia bella minatur
Vix vno Genitore minor; Pater indole tanta
Gaudet, & ingentem dum creſcere ſpectat in enſem
Magnanimam ſobolem, ſeſe deprendit in illa,
Et caro in vultu veteres reminiſcitur annos.
Sic leo, cui primæ ſurgunt certaminis iræ
Ac patrios tenero meditatur ab vngue furores,
It comes, & patrem præcurrere geſtit arena.
Ille ſuos animos, natiuaque prælia ſentit,
Et patitur vinci, fuluaque in prole triumphat:
Regibus haud impar tantis ſua tela coruſcat
Flos Lithauæ gentis, lectiſſima corpora pubis.
Sublimes omnes, omnes ad fortia nati

 Nomi-

Nomina dant Marti; quorum vel quisque Gelonos
Sexcentos optet, secum concurrere campo.
Scilicet haud istas vomer vel aratra dedere
Indecores bellis Animas, sed nobilis ardor
Casside sub dura iubet exercere Iuuentam.
Hinc alacres ad pugnam oculos, hinc plena Gradiuo
Pectora spectares; spectares ore venustas
Sarmaticas Veneres magnis gaudere lupatis
Costernacis equi, proprioque horrore superbas.
Quod si fortè istos vidisset Græcia vultus,
Non vnum mirata foret tunc fabula Martem
Feruere, at innumero stupuissent numine bella,
Nec modo tot caperent Rhodopeia claustra Gradiuos.
Hos tamen AEmonia longe Rex Thracius Arce
Vidit, & insolitum tremuit, videre Triones
Pleiadumque suis plausere Heroibus Astra.
Nos certè vt tandem sperata nuncia famæ
Aura per Ausonias sonuit lætissima Terras;
Auditas Cælo lacrimas, & vota Piorum
Diximus, & longe Getico insultauimus hosti.
Vsque adeo Lithauis dextris, & Marte Polono
Ventura auxilio Cæli sperauimus arma:
Nec spes vana fuit. Descendunt sidere ab alto
AEthe-

AEtheris, & pelagus quà circumuoluit aquarum
Danubius, tandem sese ostendere Viennæ
Signa Parethonijs dudum trepidata Maniplis.
Hùc Equitum Germana phalanx, Gens plurima Regū
Venerat, & dudùm studijs ingentibus omnes
Ardebant gladios Getico potare cruore;
Nec ieiuna sitis fuerat, nam sæpe Scytharum
Sanguine perluerant arentia tela; sed armis
Austriadum nondum reserato à limine Cœli
Annuerat sese faustæ spes vltima pugnæ.
Ast vbi fulserunt multo durata Boote
Fulmina bellorum, propiorque est visus Orion
Feruere Sarmaticis plusquam Bellator in hastis.
Vix sese è Lelagum tenuit victoria castris
Quin sese ingereret venientibus; aggere certè
Illis arrisit, facilisque est visa Polono.
Ergò alacres ad bella Duces in fœdera iungunt
Fulmineas dextras, vrit quas æmula Virtus,
Fatalemque diem magna ad certamina firmant.
His lætæ auspicijs repetunt tentoria turmæ
Et iam Thrax animis, campusque agitatur, & ensis,
Rixanturque simul sub cæca insomnia nocte.
At vigil interea, roseo nitidissima vultu

Limine ab Eoo croceis inuecta quadrigis
Aurora in seros veniebat itura Nepotes,
Et laudis testem totum pandebat Olimpum.
Tum vero excussæ noto clangore phalanges
Armantur castris; sonipes iam præscius iræ
Prouocat hinnitu pugnas, & mordet habenas.
Flagrat prima dies, nitidisque incensa tot armis
Verberat Odrysios oculos, & vulnera prima
Martia lux Phæbi Scythicos iaculatur in hostes.
Nec mora, Christiadæ spatijs æqualibus, omnem
Partiti sortem pugnæ sua quisque sequuntur
Omina signorum, Martemque feruntur in vnum.
Non procul Augustam Collis decliuis in Vrbem
Eminet, & latè conspectu explorat aperto
AEquora camporum, numerosis obsita Dacis
Huc propere euadit, summoque in vertice fulget
Theutonici belli Ductor Lotharingius, & qua
Mitescit cliuus, lituis clamantibus, omnes
Emittit turmas, & Marti laxat habenas.
At parte ex alia sociata ad classica pugnæ
Sarmaticus Tubicen multo clangore tubarum
Respondet, patriasque acies hortatur in arma,
Et simul inuadunt feralia castra Latronis.

Erecti

Erecti sonitu ciues fastigia tecti
Summa petunt læti, & Cælo descendere ab alto
Auxilium spectant, ac festa voce salutant.
Sed subitò è contra deprensus turbine belli
Mustafa Bistonius, recutita Propontidis Hydra,
Attollit ceruice minas, & cedere Diuis
Indignatur adhuc acies tum protinus omnes
Euocat, & signis opponit signa, nec iræ
Aut furijs parcit, sed quà sub viscere aheno
Vel prope Cociti ripas tellure sub alta
Clauserat innumeras animantlas sulfure pestes
Ventilat ipse faces, totumque excludit Auernum.
Horribili circum sonitu Dis clausus in auras
Erumpit subitò, & sese iaculatur in astra.
Miscetur strages: pedites, equitesque rotantur,
Cumque suis torquentur equis; ex æthere saxa
Et rupes, montesque cadunt, ac pluribus Istro
Extinguit Phaeton miseranda incendia Nimphis.
Vrgent successum Thraces, quà deficit ignis.
Visir adest, facibusque alias pugnare Megeras,
Ast alias ferro iubet, & sese addit vtrisque.
Ne culpes Othomanno Ducem, maiore Gradiuo
Quàm sit par homini Visir pugnasse fatemur.

Aspice

Aſpice tot cædes hominum , tot funera rerum,
Tot domitos amnes, fumantes cerne tot Vrbes,
Nutantemque Domũ Auguſtam, & iam pæne laban-
Regnatricem Vrbem ac vaſtos metire furores (tem
Indomiti Ducis. & quid bello audere ſuperbum
Ignorauit atrox, ad cuius tela Vienna
Vertice contremuit ſacro, & vix grande ruentis
Imperij columen non Starembergus hiauit?
Hactenus aſt illi Superi ſæuire dederunt;
Vlterius fortuna negat contendere Thraces.
Iam noſtros addiſce Duces, & parce Gelono
Impar ſi cecidit tantæ ſub vulnere dextræ,
Ergò vbi ſtare acies ſubita formidine ſenſit
Hinc Lithauum Rex altus equo, Lotharingius inde
Alipedes vrgent, & primos enſe timores
Tela per & flammas, & ſæua tonitrua belli
Inuadunt alacres; & toto Marte caleſcunt.
Non valli, foſſæque moræ, non agmina denſis
Iſpida vulneribus, nec acutis obuia telis,
Magnanimas terrent iras, ſed clauſtra refringunt,
Agmina ſed fundunt, hoſtili ac aggere circum
Regius ardet apex, Auguſtus fulgurat enſis.
Erubuere Aquilæ tunc Bellatore tonante

Stare

Stare procul gemino, per apertas ergò ruinas
Irrumpunt castra, & tentoria milite inundant.
Vt quondam Boreas, & iunctis viribus Auster
Eolij fratres positas in montibus ædes
Certatim oppugnant, & circum tecta, foresque
Robora congeminant; emoto cardine donec
Ianua se pandat, nubesque admittat & imbres.
Tunc etenim nimbi subeunt, tunc plena minorum
Turba fremit fratrum, subito patefacta tumultu
Atria miscentur, dissultant limine Portæ
Franguntur tabulæ, per custodita Penatum
Otia sæuit hyems, & vis inimica procellæ.
Haud aliter postquàm reserato à limite castra
Intrauere Duces, campo baccantur aperto
Christiadæ reliqui; non hos tunc Bosphorus vndis
Omnibus oppositus, commissaque Sextus Abido
Frænarent animos: in pigra armenta leones
Mitiùs immittunt sese, quàm Martia virtus
Se in Thraces vibret. Subito tunc sparsa videres
Membra virûm, truncosque Scythas, & inertia passim
Corpora Bistonidum, cumulataque cædibus arua.
Nec cessant Ciues, sed quos populantur in agris
Christiadum gladij, celsa sublimis ab arce

Starem-

Starembergus agit non vno feruidus igne.
Sic Mauors, iuxàque ferox in Gorgone Pallas
Deliaqueætherea dum sede Tiphoea pellunt:
Arduus ipse super defenso Iuppiter axe
Ignea in euersos mittebat tela Gigantes.
Iam locus est pugnæ nullus, non hasta, nec ensis
Cernitur aduersus, quæ solum terga trucidet
Victor habet; pronis sed tot ceruicibus enses
Cæsarei desunt; quamuis non victor habetur
Cui tres non pereant vno sub vulnere Thraces.
Ergò aliam dum auidi carpunt, pars altera palmæ
Labitur, & tanto non par est dexta triumpho.
Non tulit hoc spectans volucris fortuna, sed omnem
Vt ludum tandem circumacti absolueret Axis
Vsa Duce est Getico, & Turcis fugientibus illum
Opposuit, melior ne nos euaderet hostis.
Scilicet indomitus postquàm inclinata suorum
Agmina Sithenius vidit discrimine Visir.
Labentem Martem desertaque prælia vultu
Increpat horrendo, strictoque ab acinace turmis
Vulnera, quæ fugiunt, redeant ni ad signa minatur.
Hunc propè nobilium furiarum nomina centum
Adstabant, vnaque simul tot mostra sub hasta

Coge-

Cogebat signum vigilatum plurima Arachne
Victricis quondam signum spectabile Lunæ.
Fecerat hoc olim probroso nupta Marito
Barbara, & insanos Terræ, Pelagique triumphos
Decepta augurijs Caldæo scripsit in auro.
Huc acies igitur læuo à certamine pugnæ
Sudducunt sese, spectati ac omine signi
Et Ducis Imperio reuocant in prælia vires.
Tela iterum feruent, iterum sors pendet vtrinque
Successu dubio: miscentur funera, & Astris
Non fuit indignum præclaro sanguine bellum
Sacrari Austriadum; cecidistis nempe decoro
Vulnere libatæ generosi nominis Vmbræ.
Debita Virtuti nam merces vltima tantæ
Non tulit exiguis Terræ gaudere triumphis
Egregias Animas; sed Cælum eduxit in altum,
Qua modò Diuorum circum plaudente Senatu
Heroes iuxtà narratis fortia facta,
Et vobis multa flagrat iam luce cicatrix.
Ast vbi Rex Lithaûm solitus non vincere pigro
Marte videt campi, & pugnæ momenta librari,
Indignatus equo magnis calcaribus alas
Addit, & in medios primum se conijcit hostes.

Nec

Nec furit in vulgus, sed qua Victoria primam
Promittit laurum; signum regale Dynastæ
Quà nitidi gemmis, & diuite Marte tuentur,
Conuertit strages, & dignum Rege Gradiuum.
Aspirat Fortuna animis; sessoris habenas
Cognoscit sonipes, Dominaque calentior ira
Proterit hos cursu, saltu nunc proterit illos,
Nobilis ac Regem defert ad limina palmæ.
Tunc vnum contra centum sonuere pharetræ:
Tunc vnum oppugnant Acies: furit arduus ille
Fulmineumque rotat nulli tractabile telum.
Quaque rotat subito rarescunt agmina circum,
Et fracti clipei volitant, & membra virorum
Quà mucronis agit discussus turbo rotantur.
Iam non plura ferens Sors, & Victoria, tandem
Illa rotam vertit, niueas agit ista quadrigas,
Fatorumque fores reuoluto à cardine pandit
Vtraque, & Odrysij linquunt vexilla Tyranni.
Nec mora, Sarmatico transfossus vulnere pectus
Signifer AEmonius supremis vocibus Astra
Incusat, manibusque alijs tractanda relinquit
Carbasa Fortunæ, & domitæ iam cornua Lunæ.
Arrisit Cælum augurijs, & lapsa Polonum

Alba

Alba super pennis est circum visa Columba
Ludere festiuum, & cristas ambire decoras.
Fulsit ad hæc ille, ac frustra luctante Gelono
Vexillum extorquet Victor, spoliumque superbum
Ventilat, & fractos ostentat in aere Thraces.
Tunc ruere Imperium visum, tunc Regna Getarum
Visa sub vnius deuolui turbine dextræ.
Christiadæ ingeminant plausum, dirasque, metusque
Hostibus attonitis addunt. Victoria victos,
Vt pecus ignauum, spoliatos omine Thraces
Vrget, & in trepidos vltricia fulmina spargit.
Vndique cæduntur, non vis, non robora dextræ
Respondent solitæ, languent ad prælia vires.
Ipse oculos frustra conuertens Ductor in Vrbem
Ingemit ereptam prædam, seseque citatis
Committit pedibus, nec iam noua cogitat Orbis
Regna, nec audaces animos, sed cæca ferarum
Antra, vbi syluarum latebris sibi protegat iras
Victoris, casusque suos, & sidera ploret.
It rabies comes, ac illum dilapsa minorum
Turba Ducum sequitur campis fugitiua, sed instant
Terribiles tergo gladij, miserabilis ergò
Fit strages hominum, fului potator Hydaspæ,

Et

Et Cilices, Medique cadunt, cadit ipse Sabæus
Accola odoriferi Cœli, gens picta pharetris,
Discolor aspectu, passim sternuntur, & aruis
Funera confundunt plenis. Non Parthica Coniux,
Non Medis, Dacisque Nurus, non Thracibus vlla
Immunis superest isto certamine Mater.
Flet viduos Aurora thoros, Oriensque superbus
Hac vna pugna quod longum ploret habebit.
Ipse Styge attonita miratur funera Porthmeus,
Nec meminit toties alias onerasse carinam.
Quod si forte aliquis funesto est Marte relictus
Non hic longa sui euadit ieiunia Campi,
Quaque fugit rubro signat vestigia riuo.
Sed rapidis iam fessus equis sub vespere Phœbus
Ire diem longa rorantem cæde iubebat,
Puluereumque iubar tingens Athlantide limpha
Cedebat Lunæ lustrandum lampade Cœlum.
Hæc auidis inuecta rotis vbi strata Getarum
Arma solo, clipeosque suos, sua stemmata vidit
Cæde super larga Scythico stillare cruore,
Horruit insolitum, tremefactaque lora reduxit;
Et nos indemitum tunc primum vidimus Orbem
Ire retro, & quassa Lunam nutare quadriga.

Tu

Tu nunc Diua memor tàm faustæ conscia noctis
Musa refer, quanto Victores lumine Cælum
Afflarit reduces, auido quàm sidere vultus
Explorarit adhuc fumantes cæde diurna.
Vt litui tandem pugnæ cecinere recessum,
Exit in occursum seruatæ à mœnibus Vrbis
Relligio, & Starembergi lætissima destræ
Nixa, super stratos ducit vestigia Thraces.
Hic alacres inter turmas, & fausta tubarum
Murmura, qua illustrant cæcam funalia noctem
Agminibus stipata pijs Victoria tandem
Occurrit Fidei post secula longa sorori,
Et circumfusis Diuam complexa sub armis,
Quos illi peperit, docet ambitiosa triumphos.
Ibat & hac (inquit) Macedo, hac Hircanus. & Indus,
Hac pugnabat Arabs; ast tu secura Gradiuum
Iam preme Threicium. tanto clamosa tumultu
AEra tuis quondam muris plorata Viennæ,
En deserta iacent, dominam en te muta verentur,
Et tibi iam magis exin pugnatura tonabunt.
Cerne tot aggestis onerata vehicula campis,
Cerne tot annorum messes, tot vomere cultas
Getulo fruges, cumulata hæc cuncta iubentur

Expe-

Expectare tuas hyemes, serosque Decembres:
En arma, en clipei, en pharetræ, en sudata Cyclope
Carpatio quondam vestri instrumenta timoris,
Nunc victi spolium, & Victoris grande trophæum.
His opibus pensare tuas Fortuna querelas
Atque meas voluit lacrymas; vt gratior essem
Christiadum gladijs, quidquid pretiosa metallo
Parturit Epiros, quidquid producit Erythre,
Alluit Euphrates quidquid congessimus, vna
Vt pugna sese spoliatam Aurora doleret.
Neu fatum dubites iterum, & variabile bellum,
Vertimus auguria, & Bizanti è Turre Gelonis
Omen adoratum, captum tibi sistimus. Arces
Diruit hoc signo Mahometh, hoc Regna subegit,
Hoc iussit seros bellis præferre Nepotes.
Nec Fortuna procul vexillo hoc abfuit vmquam,
Detulit huc donec: disces hinc versa Tyranni
Sidera, & Odrysij ridebis bella Gradiui.
Hoc sciat ipse procul Mundi suprema Potestas
Christiadum Pater Augustus, primusque Sacerdos,
Hæc qui bella Senex fortunat Numine & auro.
Ac stratam pedibus Lunam Sol inclytus Orbis,
Fortunamque premens Othomanni hæc Arcibus altis

Exu-

Exuuias inter veteres, Regesque subactos,
Iam noua defigat tanti monumenta triumphi,
Et maiora suæ speret Capitolia Romæ.
Assensu plausere omnes. It clamor ad astra;
Et quà barbarico surgunt tentoria luxu
Bisthonij quondam pretiosa cubilia Visir,
Defessi subeunt Proceres. Rex puluere primus
Et cæde aspersus graditur, tunc pone sequuntur
Ductores alij, primoque in limine sedis
Attoniti pendent omnes, vbi splendida lychnis
Mobilis apparet feralis regia Thracis.
Bissina saffiro radiant penetralia, multo
Textilis est Hermo, Tyrioque in murice vestis,
Aurea defixis ardent laquearia gemmis,
Et valles, fontesque intùs, nemorumque latebras,
Balneaque Assyrio circundant carbasa muro.
Hæc dum mirantur, longa Sobieschius Heros
Nixus adhuc hasta: Modicum non vicimus hostem
O Proceres, inquit, Creso non ista supellex,
Non Xersi fuit, vnius stipendia pugnæ
Solueret vt nobis, Cyros Aurora, Midasque
Exhausit plures, bello speremus vt omnes.
Quò nos ergò vocat Cæli tàm prona voluntas

Verta-

Vertamus bella, & ne dum certamine in vno,
Bello etiam vinci testemur posse Gelonum.
Hunc Ego, quo semel indueor, non ante profecto
Deponam gladium, quàm spectem Thraces, & Indos
Austriacis parere Aquilis, direpta Tyranni
Mœnia Sithonij, ac duplici diademate cinctum
Imperijs geminos Leopoldum iungere Mundos.
Sidera sic illi spondent, sic ille meretur.
Hæc Ego præstabo contentus laude subactæ
Cæsaris Imperijs Auroræ Marte Polono.
Ite, ac victores pugnæ cras surgite ad ista
Bella mihi, & magnos mecum sperate triumphos.
Dixerat. Illi alacres magnæ dant oscula dextræ,
Altiùs & Surgunt: centum clamoribus implet
Fama tubas, plausu Cœlum, Terræque resultant.
Et nos attoniti Cyrrheo à vertice tantum
Nomen adoramus, demisso poplite, Vates.

FINIS.

